

crearunt. Quare pro parte ipsorum fuit nobis humiliter supplicatum, ut cum ex separatione dicti matrimonii, si ea contingeret fieri, grave posset in illis partibus scandalum suscitari aliaque multa pericula provenire, providere ipsis super hoc de dispensationis beneficio dignaremur. Nos igitur de circumspectione tua plenam in domino fiduciam obtinentes praesentium tibi auctoritate committimus, quatenus si tibi constiterit de praemissis, super quibus tuam intendimus conscientiam onerare, cum eisdem Alberto et Luitgardi auctoritate nostra dispenses, quod impedimento non obstante praedicto in praefato matrimonio licite valeant remanere, prolem susceptam et suscipiendam ex eis eadem auctoritate legitimam nuntiando. Datum Romae apud sanctam Mariam maiorem II. Kal. Martii anno secundo.

Aus dem Lib. regg. Nicolai PP. IV. an. II. ep. 8. T. I. fol. 108 im Vatican. Archiv.

No. 290. 1289. 10. Sept.

*Markgraf Friedrich von Landsberg beurlundet, dass er sowohl die nach dem Ableben seines Grossvaters Heinrich seinem Oheim dem Landgrafen Albrecht zugefallene Hälfte der Markgrafschaft Meissen, wie die seinem Oheim Friedrich zustehenden Besitzungen um Dresden, um eine Zerstückelung des Landes zu vermeiden, für eine hohe Summe Geldes erworben, der Bischof aber und das Capitel ihm hierzu für diesmal eine von den Stiftsunterthanen zu leistende Beisteuer bewilligt haben, ohne Berechtigung für ihn künftig eine solche fordern zu können.*

Nos Fridericus dei gratia Misnensis, Orientalis et de Landesberch marchio recognoscimus et tenore praesentium protestamur, quod felicis recordationis Heinrico Misnensi et Orientali marchione de praesentis vitae sublato medio, una cum patruo nostro Alberto Thuringorum lantgravio successissemus aequaliter iure hereditario ad possessionem et dominium principatus Misnensis, nec valente terra commode pluralitatem principum sustinere, ipso patruo nostro affectante et consentiente partem suam, partim sibi compensatione facta in certis possessionibus, partim in parata pecunia, nec solum partem illam, sed et partem Friderici patris nostri iunioris circa Dresden pro unione terrae comparavimus magna pecuniae quantitate. Ad cuius solutionem nobis non sufficientibus absque dominorum et communi terrae subsidio, venerabilis in Christo compater noster Withigo Misnensis episcopus una cum capitulo suo, ex liberalitate et gratia pro subsidio nobis faciendo, non ex iure aliquo, cum bona ipsorum auctoritate imperiali cum omnibus iuribus, quae eisdem insunt vel inesse poterunt ipsis tradita, a nostra iurisdictione sint distincta simpliciter et seiuncta, admiserunt, ut de quolibet manso suorum hominum in dominio nostro sitorum loto et dimidius nobis detur, ubi plenus census dominis solvitur, ubi vero medietas census solvitur, detur subventionis medietas, ubi vero inculta vel deserta bona fuerint et nullus census solvitur, nihil detur, nec sint bona obligata ad dandum aliquid vel astricta, nec nuntii nostri sine nuntiis domini episcopi et canonicorum in bonis ipsorum inpignorare praesument aut aliquatenus attemptabunt, sed dictorum dominorum nuntii inpignorabunt nuntiis nostris praesentibus, ut nec subsidii diminutio nec bonorum praegravatio ulla fiat. Nolumus etiam, quod de allodiis eorum aliquid exigatur vel detur, nisi quae locata et alienata in per-